



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Vincentii Brvni, Societatis Iesv, Meditationes, De
Præcipvis Mysteriis Vitæ & Passionis D. N. Iesv Christi**

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex
quoque Euangelio depromptis, Nunc ex Italico in Latinum translata

Bruno, Vincenzo

Coloniae Agr., 1599

VD16 ZV 2606

Medit. 1. De annunciatione ab Angelo facta B. Virgini, & de incarnatione
filij Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59868](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59868)

DE ANNUN-
CIATIONE AB AN-
GELO FACTA B.
VIRGINI,
ET DE INCARNA-
TIONE FILII
DEI.
MEDITATIO
PRIMA.
EVANGELIUM.

LUC. I.

MISSVS est Angelus
Gabriel à Deo in ci-
uitatem Galilæe, cui
nomen Nazareth ad
virginem desponfa-
tam viro, cui nomen erat Ioseph,
de domo David, & nomen virginis
M A R I A. Et ingressus Angelus ad
eã dixit: Aue gratia plena: Dominus
tecum: Benedicta tu in muestribus.
Quę cùm audisset turbata in ser-
A mone

2 MEDITAT. DE VITA
mone, & cogitabat, qualis esset ista
salutatio. Et ait Angelus ei. Ne ti-
meas M A R I A, inuenisti enim gra-
tiam apud D E V M: ecce cōcipies in
vtero, & paries filium, & vocabis
nomen eius I E S V S. Hic erit ma-
gnus. & Filius altissimi vocabitur,
& dabit illi Dominus Deus sedem
David patris eius, & regnabit in
domo Iacob in æternum, & regni
eius non erit finis. Dixit autem Ma-
ria ad Angelum. Quomodo fiet i-
stud, quoniam virum non cogno-
sco? Et respondens Angelus, dixit
ei: Spiritus sanctus superueniet in
te, & virtus altissimi obumbrabit
tibi. Ideoq; & quod nascetur ex te
Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et
ecce Elifabeth cognata tua, & ipsa
concepit filium in senectute sua:
& hic mensis sextus est illi, quæ vo-
catur sterilis: quia non erit im-
possibile apud Deum omne ver-
bum. Dixit autem M A R I A: Ecce
ancilla Domini, fiat mihi secundū
verbum tuum. Et discessit ab ea An-
gelus.

FIGV-

CHRISTI PARS. I. 8.
FIGVRAE.

MOYSES cum descenderet cū *Exod. 34.*
tabulis Legis ex mōte Sinai, in
quo erat conuersatus cum Deo, & fi-
lij Israël splendorem vultus eius per-
ferre non possent, operuit faciem suā
velo, vt eos alloqui possēt.

2. Abraham vnum ē seruis suis mi- *Gen. 24.*
sit in Mesopotamiam, vt inde Rebec-
cam filio suo in sponsam acciperet.

3. Angelus Domini, apparuit matri *Iudic. 13.*
Samsonis, eiq; dixit. Ecce concipies
& paries filium, erit Nazareus, &
incipiet liberare populum Israel.

4. Abigail, accepto nuncio, quod *1. Reg. 25.*
Dauid inuisset eam sibi accipi in vxo-
rem, adorauit pronā in terrā, & ait:
Ecce famula tua sit in ancillam, vt la-
uet pedes seruatorum domini mei.

5. ESTHER virgo è captiuitate *Esther. 2.*
populi Israelitici incredibili sua pul-
chritudine, honestiq; moribus ita pla-
cuit AS SVERO Regi, vt ex omnibus
mulieribus eam in sponsam & Regi-
nam elegerit.

A z 6. Ia

4 MEDITAT. DE VITA

Gen. 37. 6. Iacob misit filium suum carissimum Ioseph ad inuisendos fratres, qui pascebant oues in Sichimis, à quibus captus fuit, & malè tractatus.

PROPHETIÆ.

Mich. 1. 1. **E**CCE Dominus egredietur de loco suo, & descendet.

isaia

Isa. 35.

Isa. 45.

2. Deus ipse veniet, & saluabit vos.

3. Rorate cali desuper, & nubes pluāt in sũ, aperiatur terra, & germinet Saluatorem.

Psal. 71.

4. Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.

Isa. 7.

5. Ecce virgo concipiet, & pariet filiũ.

Hier. 31.

6. Creauit Dominus nouum super terrã, fœmina circumdabit virum.

Eze. 44.

7. Porta hac clausa erit, & non aperiatur, & vir non transiet per eam, quoniã Dominus Deus Israël ingressus est per eã.

8. Inclinauit calos, & descendit.

Isa. 47.
sapi: 18.

9. Cũ quietum silentiũ contineret omnia, & nox in suo cursu mediũ iter haberet, omnipotens sermo tuus Domine, exiliens è calo à regalibus sedibus venit.

CONSIDERATIONVM

P A R S I.

Para. 1.

CONSIDERA, quis mundi status fuerit ante aduentum Saluatoris. Perpende quanta fuerit hominũ multitudo

CHRISTI PARS I. 5

titudo tunc in terra degentiū; quā ma- *Psal. 87.*
 gna inter eos, naturæ, morū, exercitio- *Psal. 12.*
 rū dissimilitudo: vt alij bella gesserint, *Psal. 43.*
 alij alta pace fructi sint: alij fleuerint, alij
 riserint; multi in lucem editi sint, multi
 vita exceſſerint. Cogita, quomodo hi
 ipſi homines toto orbe diſperſi, idolis
 colendis, maledictis in Deū euomēdis,
 mutuis cædibus alijsq; innumeris flagi-
 tijs patrandis vacarint, in ſui creatoris
 eōtumeliā. *Omnes, enim, declinauerūt, Psal. 13.*
ſimul inutiles facti ſunt: nō erat qui face-
ret bonū, uſq; ad unū. Veritas exularat.
 Caritas refrixerat, & malitia abūdarat.
 Deniq; totus mundus peccatorū tene-
 bris erat immerſus, & ignoratiæ caligi-
 ne obuolut⁹. Regnabat mors. *Dominā Rom. 8.*
 batur Sathā, & in infernū, qui miſere dila-
 tauerat os ſuū, inſtar fluminis innume-
 rabilis animarū turba præceps ruebat.
 2. CONSIDERA ex altera parte,
 quo in ſtatu fuerint, quidq; per id tem-
 pus egerint S. Patres exiſtentes in lim-
 bo, qui poſt diuturnam captiuitatem li-
 berationis ſuæ cupidi, & de mundi ſalu-
 te ſolliciti, cuiusmodi in cælum mœſtis
 mixta vocibus iactabāt deſideria. Quā
 diu, ô Domine, ira tua deſeruiet, & zel⁹
 tuus, velut ignis attendetur in nos. *Vſ. Psal. 87.*
quequò obliuiſceris nos in finē, uſquequò

A 3 auct-

6 MEDITAT. DE VITA

Psal. 43. auertes faciem tuam à nobis? Exurge, quare obdormis domine; exurge, & ne repellas in finē. Veni tandē & exorire, ò gloria gētis nostræ, & spes vnica stirpis tuæ. Ecce res oēs velut cæca nocte obrutæ iacent, donec tu Sol iustitię clarā lucē mūdo restituas. Desere tandē, ò verē IACOB, domū paternā, & ab æterna illa requie tua descende: iam enim tempus est, vt manū duro admoueas rastro & in sudore vultus tui victum & amictum cōpares dilectę proli tuæ. Ecce ve-

Gen. 32.

lut pauper, pedibus nudis, vno nixus bacillo transibis aquas Iordanis, & in peregrino solo, humilis pastor, immitis forori greges coges ad pascua. Verū postea cum diues auri & pecoris reuertaris ad paternū regnū, tunc stipatus duabus honoratis turmis, nobilē Patris tui domum numerosa familia augēbis.

Ibid.

3. Contemplare sacrū triū diuinarū personarū collegiū, quomodo cū quasi oculis è regio throno in terrā deiectis animaduertent, mortales omnes instar cecorū, imò belluarum rationis expertium vitā agere, & paulatim in morte, ipsumq; tartarū precipites ruete, cōmotæ tanta suarū creaturarū strage ceperint agitare cōsilia de certo remedio humani generis ab æterno exitio libe-

rādi. Sed ex vna parte, hominis peccato
 nis mortē, exposcebat diuinā iustitię se
 ueritas, ex altera, misericordia supplica
 bat Creatori, vt p̄ immensa sua clemē
 tia miseretur suę creaturę. Persona
 Patris, videbatur fauere Iustitię. Bonus
 verò & S. Spiritus, potius propendebat
 in misericordiā. Deniq; Filius, cui Pater *Ioan. 3.*
 cōmiserat omne iudicium, nō ignarus
 hominē sui occasione, nempe ob teme
 rē affectatā suam diuinā similitudinē
 & sapientiā in has miseras delapsū, nec
 pręstō ei esse pręsidia, quibus emergat,
 fragilitati humanę compatiens, venit,
 & voluntariē se obtulit Patri, dicens. *Psal. 39.*
 Scio, quia *hostias & oblationes, & holo-* *Heb. 10.*
cautomata p̄ peccato noluiisti, idcirco, ee
se venio. mei muneris est penā luere p̄
 homine, quē creauī. Quoniā p̄pter me
 hæc orta tempestas est, proijciar & ego
 in mare, vt homo à tanto immunis sit
 periculo. Quibus dictis, mox euocat an
 gelum Gabrielē, & dicit. Vade ad filiā
 Syon, & dic: Ecce rex tuus venit ad te.
 4. O pietas inaudita, ô caritas ineffabi
 lis, ô viscera verē paterna, ô Deus non
 amplius vltionum Deus, sed misericor
 diarū Pater; quandoquidē tantū valuit
 ignis ille amoris in pectore tuo erga
 nos accēsus, quod neq; nostri laps⁹ gra

§ MEDITAT. DE VITA

uitas, nec suscepti itineris laboris, nec difficultas certaminis, nec denique opprobrium & ignominia crucis, reuocare te potuerūt, quin humeris tuis, licet innoxius, pœnam nostris criminibus debitam, expiandā susciperes. O fortissime Samson, quomodo, quæso, te ita infatuauit amor tuæ Dalilæ, hoc est, nostræ naturæ peccatricis! vt post tot eius prodiciones audeas rursus deponere caput tuum in sinum eius, cum scias te mox ab ea tradendam in manus hostiū & post multa probra & iniurias, turpissima morte ab eisdem multandum?

Jud. 16.

3. REFLECTE deinde oculos mentis ad paruum castellum Nazareth, & considera, quid sub hoc tempus agere debuerit filia Sion, pura Virgo illa, tam humilis & abiecta in oculis suis, & tam magna & excellens in oculis Dei. Vbi cogitare potes, quod, vt per omnem vitam suam fuerat omnium virtutū speculum, & plus angelorum quàm hominum cōsuetudine utebatur; ita hac hora cubiculo inclusam fuisse, supplicemque Patri cœlesti in secreto cordis sui, totam diuina contemplatione absorptam steterisse. In specie autem Sancta Virgo tria à Deo exposcebat. Primò, vt honor Dei & gloria perfectè in cælo & in

CHRISTI. PARS I. 9

& in terra, nominatim autem in se eius sancta voluntas adimpleretur. Secundo, ardentissimo desiderio exposcebat liberationem generis humani. Nam, ut multi volunt, cum id temporis peruolueret vaticinia prophetarum, & intelligeret, ut erat sapientia, & diuino Spiritu plena, tempus adesse, quo aperienti essent cæli, & in mundum descensurus desiderat^o ab omnib. gentib. sancto zelo flagrans, oculis mentis & corporis in cælum coniectis in has propheticas voces erumpebat. Egredere, tandē, *Psal. 118.*
Cant. 2.
 ô desiderate sponse è thalamo tuo cælesti; ostende mihi faciem tuam: sonet vox tua in auribus meis, præbe semel ore tuo nobis dulce osculum pacis. Quibus verbis amore tota liquefacta, repetebat cum sponsa, *Cant. 5.*
in hortu suum: veniat dilectus meus in hortu suum: veniat in animam meã, veniat intiõ in cor meum. Tertio exposcebat à Deo, ut infelicitissimum illud tempus incideret, quo lucem edenda erat Virgo beatissima, electa in Dei matrem, & Saluatorem mundi paritura. O quàm scelicem se reputabat, si oculis suis illam posset videre, si lingua sua prædicare, si manibus suis illi seruire, imò simbriam vestium eius attingere, ac deniq; genua sua ante eum flectere,

A s re,

10 MEDITAT. DE VITA

re, & adorare filium Dei hominem factum in eius utero existentem? Cum itaque; Maria totam se in has contemplationes & desideria sancta effudisset, ecce subito splendore caelesti circumfusa conspexit ante se archangelum Gabrielem, qui hilari vultu & voce post salutationem renunciauit. Iam venire Dominum, esse vicinum, imò iam ei adesse; ipsam quoque esse virginem illam electam, & matrem illam benedictam, quae concipere deberet in utero suo; & parere unigenitum Dei filium.

Punct. 1.

PARS SECUNDA.

CONSIDERA, colloquium suauiter ab Angelo, cum B. Virgine institutum; quomodo ad eam ingressus, ea reuerentia & submissione, quae congruebat future dei matri, dixerit, *Aue gratia plena*, atque si diceret. Pax tibi & gaudium, quae ab omni maledictione, & peccati macula immunis es. Aue tota pulchra, tota immaculata, tota plena gratia. Et rectè quidem appellat plenam; nam alijs sanctis Dominus tantum impartiuit quaedam dona gratiae, Mariam verò omni genere gratiae compleuit. Plena erat gratia, quia anima eius plena erat eo, qui fons est, & auctor omnis gratiae. Merito gratia plena erat illa, cuius opera omnes creaturae repletae fuerunt donis & gratijs Spiritus S. Et si **MARIA** gratia fuit plena, antequam

CHRISTI. PARS I. ¶

quam concepisset Salvatorem, quantā cogitare debemus ei obtigisse gratiam, postquam eundem concepit?

2. SVBIECIT deinde Angelus. *Dominus tecū.* Verè tecū erat, & omnib. modis erat ô Maria, Domin^o tuus, & Sponsus tuus. Tecū erat in anima, eā sanctificans, & super omnes creaturas donis & charismatib. exornans. Tecū erat in corde, illud caritate, gaudio & consolatione ineffabili cōplens. Tecū in mēte, eā illustrans, & cęlesti contemplatione reficiens. Tecū deniq; paulò post in purissimo utero tuo per assumptā carnē esse debebat, vt te beatā efficeret, & ex humili ancilla, Sponsā altissimi, Matrē æterni sui filij, & templū viuum Spiritus S. Vnde merito Angelus eam appellauit, *Benedictam in mulieribus.* Aliæ enim mulieres duplici maledictioni erāt subiectæ; altera Dei, quæ orta est ex corruptione peccati, de qua illud *In dolore paries filios.* Altera legis. latę in mulieribus steriles. Ab vtraq; libera fuit Maria, primò, quia fuit virgo sine macula, deinde quia fuit fecunda, & quidē hoc benedicto fructu fecunda, in quo oēs gentes sunt benedictæ. Imò quia hæc omniū prima Deo suā virginitatem obtulit cum voto, in omib. mulieribus maledictionem Legis antiquauit. nam

A 6 vt in

12 MEDITAT. DE VITA

vt in veteri lege scriptū erat *Maledicta sterilis*. Sic nunc in noua lege post oblationem istam à Maria peractam scriptū est. *Benedicta virgo*, & status virginum prælatus est, statui Coniugum.

3. M A R I A cū audisset salutationem angeli turbata est tota, non quod esset incredula, vt Zacharias, aut quod angelum conspexisset: Solita enim erat videre angelum: sed ex virginea quadam verecundia. Proprium enim Virginum est ad præsentiam virorum turbari. Turbata etiam est, quia illa salutatione, illis laudibus angelicis se iudicabat indignam. Sancti enim & humiles, quo plus laudantur, hoc turbantur magis; solent enim illi inquirere, non in virtutes suas, vt inaniter in illis sibi placeant, sed potius in suos defectus & lapsus vt eos emēdent. Turbata est igitur M A R I A, sed non perturbata; imo, vti cauta & prudens, non respondit, nimirum tacite secum expēdens, qualis esset ista salutio, & admiratione forte attonita intra se dicebat. Vnde mihi meritum tantum, vt Angelus Domini veniat ad me? Verūm cur miraris, cur times humilis M A R I A? an ob aduentū Angeli? at ecce ipsum Angelorum Dominum ad te venientem. An quia
Ange-

Angelus vocat te gratia plenam? at gratia hæc humana non est, qua hominibus reddaris gratiosa, sed diuina, quæ te ita gratam reddidit Deo, vt nō solū pro te, sed etiam pro toto genere humano gratiam apud eum inueneris. Tu enim sola illam recuperasti gratiā, quā peccato primorum parētum amissam nulla hæcten⁹ creatura reperire potuit. Inuenisti quoq; gratiam apud Deum, quia insigni pudicitia & humilitatis splendore animam tuam collustrans gratam Domino tuo habitationem præparasti. **QVARE** si **MARIA** est plena gratia, & apud **DEVM** est gratiæ inuentrix, omnes quotquot inopes & cupidi gratiæ sumus, eam adæamus, Deus enim, vt hoc oraret matrem in eā effudit plenitudinem gratiæ, vt nos intelligeremus, si quæ spes, si quid boni, si quæ salus in nobis sit, id totum à **MARIA** tanquam Mediatrice redundare. Nec quicquam vult Deus à nobis obtineri, quod non per manus **MARIÆ** dispensetur.

4. **CONSIDERA**, quomodo, cum Angelus subiunxisset, eam concepturam, & parituram Filium altissimi. B. Virgo inter gaudium & timorem anceps & perplexa constiterit. Gaudebat

14 MEDITAT. DE VITA

de promissione, firmiter credēs, perfici
 debere, quicquid Deus per Angelū pro
 misisset: sed modi ignara, verebatur, ne
 in Virgineæ puritatis, quā maximi fa
 ciebat voto, dispensatione opus esset.
 Sciebat quidem, virginem concepturā,
 parituramq; filium, sed qua ratione &
 via id futurum esset, nūquā legerat; eò
 quod huius mysterij arcanū nō homi
 nis, sed angeli ore patefaciendum erat.
 At postquā certè didicit, id fieri debere
 opera Spiritus sancti, salua virginitate
 sua; cogita quāto gaudio & cōsolatione
 perfusa fuerit, quāta lætitia cor eius exi
 llerit, dum animaduertit omnia sua de
 sideria abundanter esse à Domino cō
 pleta. Expēde etiam quantus cumulus
 gaudij accesserit, cum intellexit cogna
 tā suā sterilē in senectute cōcepisse filiū.
 5. Haftenus, o Virgo benedicta, audi
 sti mirabilia, quæ Deus vult operari in
 te, audisti & modum. Nunc superest, vt
 sicut Dominus pectus tuum tanta læti
 tia compleuit, tu vicissim nobis respon
 sum des plenū lætitiæ & exultationis.
 Vbi cōsidera, præsentē adistere Sacro
 sanctā Trinitatē, & quasi expectare dile
 ctæ filiæ suæ responsum, oblectare eā se
 consideratione verecūdię, & modestiæ
 virginalis, auscultare ad humilia verba

ex eius ore egressura. Perpende etiã quã
 tareuerentia, & submissionis significa-
 tione Angel^o Gabriel ad præsentia eius
 inclinatus expectarit optatum illud re-
 spõsum, ex quo tanta Dei gloria, & tã-
 ta totius mundi salus p̄debat. Expecte-
 mus & nos miseri Euæ filij, æternæ da-
 mnationis rei, verbũ misericordiæ; nã
 in manibus tuis est; ô Virgo benedicta,
 pretium nostræ redemptionis: Quare si
 tu non præstas consensum, omni spe re-
 medij excidim⁹, si præstas; salui sumus.
 Expectant quoq; & obsecrãt te omnes
 cæli ciues, vt misericordia moueare, &
 antiquas corũ velis instaurare ruinas.
 Deniq; supplicant tibi omnes sancte a- *Isa. 9.*
 nime, quę sedētes in tenebris, & umbra
 mortis, cõfidunt se tui responsi benefi-
 cio liberãdas; & vera luce vitę potituras.
 6. Itaque prudentissima virgo, auditis
 Angeli verbis, positis magna humilita-
 te humi genib. manibus oculisq; in cæ-
 lū sublatis, exoptatũ tandē responsũ his
 verbis dedit: *Ecce ancilla domini fiat mi-
 hi secũdũ verbũ tuũ.* Nota hĩc promptã
 MARIÆ obedientiã, & obedientiam *1. Reg. 19.*
 super omne sacrificiũ Deo gratã & ac-
 ceptã. Obserua magnam eius humili-
 tatem, dum vocat se ancillã, quæ electa
 erat in Dei matre. O singularem, imò
 inau-

16 MEDITAT. DE VITA

inauditam humilitatem, quæ è cælo de
trahere potuisti Conditorem vniuersi;
& quem cæli capere non possunt, con-
cludere intra angustias vteri vnus vir-
gunculæ. Hoc temporis puncto cele-
bratæ sunt æterni verbi cum humana
natura nuptiæ; inclinati sunt cæli, & ad
nos descenderunt, Deus excelsus & glo-
riosus ad nostram infirmitatem se de-
misit, & homo miser & vilis in diuinæ
naturæ consortium est exaltatus. Tunc
miseriordia & veritas obuiauerūt sibi;
iustitia & pax osculata sūt. Tūc cælestis
ille ros decidit de cælo, & iusto ex altif-
simis nubibus instar fecundi imbris de-
labente, terra nostra concepit & germi-
nauit Saluatorem. Tunc deniq; humi-
lis ancilla, facta est mater sui Creatoris.
Templum Spiritus sancti, & Regina
angelorum atque hominum.

7. O fœlix MARIA, quanta dulcedi-
ne tunc inebriata est anima tua, quan-
tus amoris ignis accensus est in corde,
cum in ventrem tuum & mentem tan-
tæ Maiestatis Dominus delaberetur?
cum carnem assumeret de tua carne,
cum membra, in quibus corporaliter
habitatura erat tota diuinitatis pleni-
tudo, ex tuis sacris membris formaren-
tur. Si animus sponse audita sola sponsi

voce

Psal. 17.

Psal. 84.

Cant. 5.

voce tot^o liquefactus est, tu quomodo in ipso sponsi ingressu in virginem tuum thalamum in tāta caritatis flamma non es consumpta? Sed virtus altissimi obumbravit tibi, vt à tāto ardore laedi vel absorberi non posses.

COLLOQVIVM.

PRECABERIS verbum incarnatum, quādoquidem, amore nostri & studio procurandæ salutis nostræ ad tantam humilitatem se demisit, vt nō in forma Dei esset, exinaniuerit semetipsum formam serui accipiens, vt nos exaltaret, vt suæ diuinitatis participes faceret, vt velit animam tuam, profunda humilitate exornare, sicut animam Beatiss. suæ Matris exornauit, vt concepto in ea spiritaliter diuino verbo, salutare vite, bonorumq; operum fructus possis producere, & cōsequi eum finē, ob quem ille de cælo in terram venit.

DOCUMENTA.

1. **A**NGELVS Gabriel, et si probe intelligeret, se quoad naturā, lōge esse homine nobiliore & sublimiore, hac verò legatione futurū homine inferiore, & hominem adoraturū, tamen cū scirēt hanc esse Dei voluntatē, promptē & alacriter suo funct^o est ministerio: Sic nos in
rebus

18 MEDITAT. DE VITA

rebus ad diuinum seruitium spectantibus.
non debemus querere commoda nostra,
aut honorem nostrum, sed id tantum, quod
magis conueniens est voluntati & glo-
ria Dei, ac saluti animarum.

2. Verbum aeternum non voluit carnem
nostram assumere Hierosolymis vrbe re-
gia sed in exigua villa Nazareth, quod
interpretatur, sanctificata, vel florida.
Gratia diuina non contingit superbis. Qua-
re si in animis nostris volumus Iesum
concipere, simus humiles, & sancti, &
virtutum floribus ornati.

3. DEVS assumpturus carnem, voluit
matrem suam, non solum esse virginem,
& sanctam, verum etiam marito adian-
ctam, ut etiam apud homines omnem
peccati suspicionem auerteret: sic non suf-
ficit nobis, ut bonis operibus, rectaque in-
tentione satisfaciamus Deo, sed prae-
terea necessarium est, ut nullam scandali oc-
casionem hominibus demus, conuenien-
ter verbis S. Pauli monentis, ut bona o-
pera nostra faciamus, non solum coram
Deo, sed etiam coram hominibus.

4. Angelus non inuenit B. Virginem in
loco publico, sed domi in cubiculo reclusam:
Et nos, si caelesti visitatione digni, si diui-
norum secretorum participes esse cupi-
mus,

mus, simus in nobis ipsis collecti, & nos
à nimia conuersatione hominum subtra
hamas.

5. Beata virgo, Angelo conspecto, tantis-
que laudibus ab eo in salutatione audi-
tis, turbata est, & seipsam collegit: ut do-
ceret, affluente diuina cōsolatione, rebus-
que prosperis, nos non debere esse timore
vacuos, sed ob periculum ruina impēdens
nobis ipsis attendere: Sicut è cōtrario de-
solationis & afflictionis tempore de-
latari, & esse magis securi, dicente Scrip-
tura. Dominum in tribulatione nobis a-
desse, ad adiuuandum nos.

6. Discant femina à M A R I A domi se
continere, eoque loco recludi, ubi sola inue-
niantur ab Angelis, discant formidare vi-
rorum colloquia, & ad laudes suas turba-
ri. Discant prius expendere, & examina-
res sibi propositas, quàm respondeant.
Discant audire multa, loqui pauca. Dis-
cant denique zelum castitatis, qui tantus
fuit in M A R I A, ut non ante Mater Dei
esse consenserit, quàm inuiolatam fore
virginitatem suam certò cognosceret.

7. Beata virgo, licet esset humillima, &
pra alijs omnib⁹ se indignā reputaret, ut
esset mater Dei, tamē cognita diuina vo-
luntate, mox cessit & magna animi prom-
ptitudine & fortitudine sese obtulit. Sic
nos

nos, cū ad diuinum seruitium à Deo vocati sumus, quamprimum, re diligenter excussa, animaduertimus vocationem esse à Deo, nō debemus nec instituti difficultate, nec rei praestanda magnitudine, nec virium nostrarum imbecillitate deterriti, respuere, vel differre obsequiū, sed confisi in eo, qui vocat, prōptē nos offerre, & dicere cum Maria. Ecce seruus Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

8. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. In his sex verbis sex eximia virtutes Sanctissima Virginis continetur, quae cuius Christiano, in se Christum spiritualiter concipere volenti, sunt necessaria.

Prima est, Obedientia prompta, significata voce. Ecce.

Secunda. Humilitas profunda, significata voce. Ancilla.

Tertia. Puritas angelica, expressa voce. Domini.

Quarta. Caritas ardens, & zelus pro salute aliorum significata voce. Fiat.

Quinta. Humilis magnanimitas in diuini seruitij executione, significata voce. Mihi.

Sexta et postrema, Fides deuota, quae significata fuit, quādo dixit, secundū verbum tuū. Beata enim virgo firmissimē credebat

credebat
quid
g. B.
hilres
Vnde
aliqua
bere n
ueniat
cuius



B.
VI

M



da: E
ria, 8
est, v
Elisab

credebat re ipsa in se complendum, quicquid verbis Angeli erat expressum.
 9. B. Virgo sermone Angeli turbata nihil respondit, sed secum omnia expendit. Unde discimus, cum in nobis perturbatio aliqua, vel commotio animi exurgit, debere nos tacere, & expendere quid conveniat, ne quid loquamur, vel agamus cuius nos deinceps pœnit eat.



QVOMODO

B. VIRGO
VISITARIT ELI-
SABETH.
MEDITATIO II.
EVANGELIVM.

EXV RGENS. MARIA *LUC. 1.*
 in diebus illis abiit in montana cum festinatione, in ciuitatem Iuda: Et intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth. Et factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in utero eius